

1438.

Membrane 1—cont.

critus qui ex predictis concessionibus peruenire possunt, et de omnibus clamoribus quos nobis ostendent sine dilatione plenariam justiciam eis faciatis [sic]. Testibus, B. episcopo de Sancto David et G. cancellario, et R. de Sigillo et Milone de Gloucestria et W. Maltravers, apud Westmonasterium.

- (2) A charter of Henry II. as follows:—*Henricus rex Anglorum, dux Normannorum, Aquitanorum, comes Andegarorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciariis, vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis, Francie et Anglis, salutem. Sciatis me, pro salute anime mee et animarum omnium antecessorum meorum, dedisse et concessisse Deo et ecclesie Sancte Marie de Wika et sanctimonialibus ibidem Deo servientibus quod habeant feriam trium dierum per annum et quicquid ad feriam pertinet, scilicet in vigilia et in die et in crastino Sancti Michaelis. Quare rolo et firmiter precipio quod prefate sanctimoniales habeant et teneant hanc feriam suam per predictos tres dies imperpetuum et prohibeo ne aliquis cas super hoc disturbare presumat aut in res suas contra voluntatem earum manus apponat. Quia tam ipsas quam omnia sua in manu et protectione mea recepi. Testibus, Gilberto Lundoniensi episcopo, Johanne Norwicensi episcopo, Rand[ulfo] de Gilanvilla, Rogero filio Ren[fridi], apud Westmonasterium.*

- (3) A charter of Richard I, as follows:—*Ricardus, Dei gratia rex Anglorum, dux Normannorum, Aquitanorum, comes Andegarorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciariis, vicecomitibus, ministris et omnibus fidelibus totius Anglie, salutem. Sciatis nos, pro Dei amore et pro anima Regis H. patris nostri, et pro animabus omnium Christianorum, necnon etiam pro salute nostra et A. regine, matris nostre, concessisse, et hac presenti carta nostra confirmasse Deo et ecclesie beate Marie de Wica et monialibus ibidem servientibus, unam feriam (sic) trium dierum semel per annum et quicquid ad feriam pertinet scilicet in vigilia et in die et in crastino Sancti Michaelis. Quare volumus et regia auctoritate firmiter precipimus quod prefate sanctimoniales habeant et teneant prenominatam feriam per predictos tres dies imperpetuum, et prohibemus ne aliquis cas super hoc disturbare presumat aut eis molestiam aliquam ingerat, nec in res suas contra voluntatem earum manus apponat. Quia tam ipsas quam omnia sua in manu et protectione nostra recepimus. Preterea concedimus et confirmamus eis omnes donaciones et libertates quas pater noster, rex H. eis concessit et confirmavit et omnes donaciones que illis in tota terra nostra collate sunt vel in futuro conferentur, sicut carta ejusdem regis H. patris nostri testatur. Et omnia tenementa sua et ville et homines sui quieti sint de omnibus querelis et placitis et sectis et aliis consuetudinibus sicut alique terre sive homines virorum religiosorum liberiores et quicquid sunt in tota terra nostra. Precipimus etiam quod plenariam justiciam eis faciatis d. omnibus qui eis sive hominibus suis injuriam fecerunt. Testibus, B. Cantuariensi, Willelmo (sic) Rothomagensi, archiepiscopis: H. Dunolmensi, H. Salebericensi, L. (sic) Norwicensi, G. Roffensi, episcopis: Willelmo Marescallo, Gaufrido filio Petri. Datum per manum Willelmi de Longo Campo, Eliensis electi, cancellarii nostri, xviij die Novembris, apud Cantuariam, anno regni nostri primo.*